

C. JULII CAESARIS  
**COMMENTARII**  
DE  
**BELLO GALLICO**

Comm. I, comm. VI (cap. 11—24)

Kahes jaos : 1. Tekst, 2. Seletused (kahes köites)

Toimetanud

**Elmar Kikas**

Eesti Tõlkarlaste Gümnaasiumi ladina keele õpetaja

**I. Tekst**



**Tartus, 1922**

Eesti Kirjastuse - Ühisuse „Postimehe“ kirjastus

C. JULII CAESARIS

# COMMENTARII

DE

## BELLO GALLICO

Comm. I, comm. VI (cap. 11—24)

Kahes jaos : 1. Tekst, 2. Seletused (kahes köites)

Toimetanud

Elmar Kikas

Eesti Tütarlaste Gümnaasiumi ladina keele õpetaja

### I. Tekst

---

Tartus, 1922

Eesti Kirjastuse-Ühiseuse „Postimehe“ kirjastus

TARTU ÜLKOOL  
RAAMATUKOOL

C. JULII CAESARIS

# COMMENTARIII

## BELLO GALLICO

Eesti Kirjastuse-Ühisuse „Postimehe“ trükk, Tartus.

3943428x

TARTU ÜLIKOOLI  
RAAMATUKOGU

# Commentarius primus.

(58 a. Chr. n.)

## I. Gallia ethnograafiline ja geograafiline kirjeldus.

Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt.

Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit.

Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe commeant atque ea, quae ad effeminandos animos pertinent, important, proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. (Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.)

Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano; continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum: attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum; vergit ad septentriones.

Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in septentrionem et orientem solem.

Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceani, quae est ad Hispaniam, pertinet; spectat inter occasum solis et septentriones.

## II. Sōda helveetslastega.

- 2.1 Apud Helvetios longe nobilissimus fuit et ditissimus Orgetorix. Is, M. Messala et M. Pisone consulibus, regni cupiditate inductus, coniurationem nobilitatis fecit et civitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent: perfacile esse, cum virtute omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit, quod undique loci natura Helvetii continentur: una ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit; altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos et Helvetios; tertia lacu Lemanno et flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit. His rebus fiebat, ut et minus late vagarentur et minus facile finitimis bellum inferre possent; qua ex parte homines bellandi cupidi magno dolore afficiebantur. Pro multitudine autem hominum et pro gloria belli atque fortitudinis angustos se fines habere arbitrabantur, qui in longitudinem milia passuum CCXL, in latitudinem CLXXX patebant.
- 3.1 His rebus adducti et auctoritate Orgetorigis permoti, constituerunt ea, quae ad proficiscendum pertinerent, comparare, iumentorum et carrorum quam maximum numerum coemere, sementes quam maximas facere, ut in itinere copia frumenti suppeteret, cum proximis civitatibus pacem et amicitiam confirmare. Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt: in tertium annum profectionem lege lege confirmant.
- 3 Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur. Is sibi legationem ad civitates suscepit. In eo itinere persuadet Castico, Catamantaloedis filio, Sequano, cuius pater regnum in Sequanis multos annos obtinuerat et a senatu populi Romani amicus appellatus erat, ut regnum in civitate sua occuparet, quod pater ante habuerat; itemque Dumnorigi Aeduo, fratri Divitiaci, qui eo tempore principatum in civitate obtinebat ac maxime plebi acceptus erat, ut idem conaretur, persuadet eique filiam suam in matrimonium dat. Perfacile factu esse illis probat conata perficere, propterea quod ipse suae civitatis imperium obtenturus esset; non esse dubium, quin totius Gal-

liae plurimum Helvetii possent; se suis copiis suoque exercitu 7  
illis regna conciliaturum confirmat. Hac oratione adducti, inter 8  
se fidem et iusiurandum dant et, regno occupato, per tres  
potentissimos ac firmissimos populos totius Galliae sese potiri  
posse sperant.

Ea res est Helvetiis per indicium enuntiata. Moribus suis 4.1  
Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt. Damnatum  
poenam sequi oportebat, ut igni cremaretur. Die constituta 2  
causae dictionis Orgetorix ad iudicium omnem suam familiam,  
ad hominum milia decem, undique coegit et omnes clientes  
obaeratosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem  
conduxit; per eos, ne causam diceret, se eripuit. Cum civitas, 3  
ob eam rem incitata, armis ius suum exsequi conaretur, multi-  
tudinemque hominum ex agris magistratus cogerent, Orgetorix 4  
mortuus est; neque abest suspicio, ut Helvetii arbitrantur,  
quin ipse sibi mortem consciverit.

Post eius mortem nihilo minus Helvetii id, quod consti- 5.1  
tuerant, facere conantur, ut e finibus suis exeant. Ubi iam se 2  
ad eam rem paratos esse arbitrati sunt, oppida sua omnia,  
numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua privata  
aedificia incendunt, frumentum omne, praeterquam quod secum 3  
portaturi erant, comburunt, ut, domum reditionis spe sublata,  
paratiores ad omnia pericula subeunda essent; trium mensum  
molita cibaria sibi quemque domo efferre iubent. Persuadent 4  
Rauricis et Tulingis et Latovicis finitimis, uti, eodem usi con-  
silio, oppidis suis vicisque exustis, una cum iis proficiscantur,  
Boiosque, qui trans Rhenum incoluerant et in agrum Noricum  
transierant Noreiamque oppugnant, receptos ad se socios  
sibi asciscunt.

Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire 6.1  
possent: unum per Sequanos, angustum et difficile, inter mon-  
tem Iuram et flumen Rhodanum, vix qua singuli carri duce-  
rentur, mons autem altissimus impendebat, ut facile perpauci  
prohibere possent; alterum per provinciam nostram, multo 2  
facilius atque expeditius, propterea quod inter fines Helve-  
tiorum et Allobrogum, qui nuper pacati erant, Rhodanus fluit,  
isque nonnullis locis vado transitur. Extremum oppidum Allo- 3

- brogum est proximumque Helvetiorum finibus Genava. Ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet. Allobrogibus sese vel persuasuros, quod nondum bono animo in populum Romanum viderentur, existimabant, vel vi coacturos, ut per suos fines
- 4 eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant. Is dies erat a. d. V. Kal. Apr., L. Pisone A. Gabinio consulibus.
- 7.1 Caesar cum id nuntiatum esset, eos per provinciam nostram iter facere conari, maturat ab urbe proficisci et quam maximis potest itineribus in Galliam ulteriorem contendit et
- 2 ad Genavam pervenit. Provinciae toti quam maximum potest militum numerum imperat (erat omnino in Gallia ulteriore legio una), pontem, qui erat ad Genavam, iubet rescindi.
- 3 Ubi de eius adventu Helvetii certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos civitatis, cuius legationis Nammeius et Verucloetius principem locum obtinebant, qui dicerent sibi esse in animo sine ullo maleficio iter per provinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare, ut eius voluntate id sibi facere liceat. Caesar, quod memoria tenebat L. Cassium consulem occisum exercitumque eius ab Helvetiis
- 5 pulsum et sub iugum missum, concedendum non putabat; neque homines inimico animo, data facultate per provinciam
- 6 itineris faciundi, temperaturos ab iniuria et maleficio existimabat; tamen, ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent, legatis respondit diem se ad deliberandum sumpturum; si quid vellent, ad Id. April. reverterentur.
- 8.1 Interea ea legione, quam secum habebat, militibusque, qui ex provincia convenerant, a lacu Lemanno, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit, milia passuum decem novem murum, in
- 2 altitudinem pedum sedecim, fossamque perducit. Eo opere perfecto, praesidia disponit, castella communit, quo facilius, si
- 3 se invito transire conarentur, prohibere possit. Ubi ea dies, quam constituerat cum legatis, venit, et legati ad eum reverterunt, negat se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare et, si vim facere conentur, prohibi-

turum ostendit. Helvetii, ea spe deiecti, navibus iunctis ra- 4  
tibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima  
altitudo fluminis erat, nonnunquam interdiu, saepius noctu,  
si perrumpere possent conati, operis munitione et militum  
concurso et telis repulsi, hoc conatu destiterunt.

Relinquebatur una per Sequanos via, qua Sequanis invi- 9.1  
tis propter angustias ire non poterant. His cum sua sponte 2  
persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Aeduum  
mittunt, ut eo deprecatore a Sequanis impetrarent. Dumnorix 3  
gratia et largitione apud Sequanos plurimum poterat et Hel-  
vetiis erat amicus, quod ex ea civitate Orgetorigis filiam in  
matrimonium duxerat, et, cupiditate regni adductus, novis  
rebus studebat et quam plurimas civitates suo beneficio ha-  
bere obstrictas volebat. Itaque rem suscipit et a Sequanis 4  
impetrat, ut per fines suos Helvetios ire patiantur, obsidesque  
uti inter sese dent, perficit: Sequani, ne itinere Helvetios  
prohibeant; Helvetii, ut sine maleficio et iniuria transeant.

Caesari renuntiatur Helvetiis esse in animo per agrum 10.1  
Sequanorum et Aeduorum iter in Santonum fines facere, qui  
non longe a Tolosatium finibus absunt, quae civitas est in  
provincia. Id si fieret, intellegebat magno cum periculo pro- 2  
vinciae futurum; ut homines bellicosos, populi Romani inimi-  
cos, locis patentibus maximeque frumentariis finitimos habe-  
ret. Ob eas causas ei munitioni, quam fecerat, T. Labienum 3  
legatum praefecit; ipse in Italiam magnis itineribus conten-  
dit duasque ibi legiones conscribit et tres, quae circum Aqu-  
leiam hiemabant, ex hibernis educit et, qua proximum iter  
in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum his quinque legio- 4  
nibus ire contendit. Ibi Ceutrones et Graioceli et Caturiges, 4  
locis superioribus occupatis, itinere exercitum prohibere co-  
nantur. Compluribus his proeliis pulsus, ab Ocelo, quod est 5  
citeriōris provinciae extremum, in fines Vocontiorum ulterio-  
ris provinciae die septimo pervenit, inde in Allobrogum fines;  
ab Allobrogibus in Segusiavos exercitum ducit. Hi sunt extra  
provinciam trans Rhodanum primi.

Helvetii iam per angustias et fines Sequanorum suas co- 11.1  
pias traduxerant et in Aeduorum fines pervenerant eōrumque

2 agros populabantur. Aedui, cum se suaque ab iis defendere non possent, legatos ad Caesarem mittunt rogatum auxilium:  
 3 Ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut paene in conspectu exercitus nostri agri vastari, liberi eorum in ser-  
 4 vitudinem abduci, oppida expugnari non debuerint. Eodem tem-  
 pore, quo Aedui, Ambarri, necessarii et consanguinei Aeduorum, Gaesarem certio-  
 rem faciunt sese, depopulatis agris, non  
 5 facile ab oppidis vim hostium prohibere. Item Allobroges, qui trans Rhodanum vicos possessionesque habebant, fuga se  
 ad Caesarem recipiunt et demonstrant sibi, praeter agri so-  
 6 lum, nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus, Caesar non expectandum sibi statuit, dum, omnibus fortunis sociorum consumptis, in Santonos Helvetii pervenirent.

12.1 Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit. Id Helvetii rati-  
 2 bus ac lintribus iunctis transibant. Ubi per exploratores Caesar certior factus est tres iam partes copiarum Helvetios id flumen traduxisse, quartam fere partem citra flumen Ararim reliquam esse, de tertia vigilia cum legionibus tribus e castris profectus, ad eam partem pervenit, quae nondum flumen  
 3 transierat. Eos impeditos et inopinantes aggressus, magnam partem eorum concidit; reliqui sese fugae mandarunt atque  
 4 in proximas silvas abdiderunt. Is pagus appellabatur Tigurinus; nam omnis civitas Helvetia in quattuor pagos divisa est.  
 5 Hic pagus unus, cum domo exisset patrum nostrorum memoria, L. Cassium consulem interfecerat et eius exercitum  
 6 sub iugum miserat. Ita sive casu sive consilio deorum immortalium, quae pars civitatis Helvetiae insignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps poenas persolvit.  
 7 Qua in re Caesar non solum publicas, sed etiam privatas iniurias ultus est, quod eius soceri L. Pisonis avum, L. Pisonem legatum, Tigurini eodem proelio, quo Cassium interfecerant.

13.1 Hoc proelio facto, reliquas copias Helvetiorum ut consequi posset, pontem in Arare faciendum curat atque ita exercitum traducit. Helvetii, repentino eius adventu commoti, cum id, quod ipsi diebus XX aegerrime confecerant, ut flumen

transirent, illum uno die fecisse intellegerent, legatos ad eum mittunt; cuius legationis Divico princeps fuit, qui bello Casiano dux Helvetiorum fuerat. Is ita cum Caesare egit: Si 3 pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi eos Caesar constituisset atque esse voluisset; sin bello persequi perseveraret, reminisce- 4 retur et veteris incommodi populi Romani et pristinae virtutis Helvetiorum. Quod improvise unum pagum adortus esset, cum 5 ii, qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suae magnopere virtuti tribueret aut ipsos despiceret. Se ita a patribus maioribusque suis didicisse, ut 6 magis virtute quam dolo contenderent aut insidiis niterentur. Quare ne committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex cala- 7 mitate populi Romani et internecone exercitus nomen caperet aut memoriam proderet.

His Caesar ita respondit: Eo sibi minus dubitationis dari, 14.1 quod eas res, quas legati Helvetii commemorassent, memoria teneret; atque eo gravius ferre, quo minus merito populi Romani accidissent; qui si alicuius iniuriae sibi conscius fuisset, 2 non fuisse difficile cavere; sed eo deceptum, quod neque commissum a se intellegeret, quare timeret, neque sine causa timendum putaret. Quod si veteris contumeliae oblivisci vellet, 3 num etiam recentium iniuriarum, quod eo invito iter per provinciam per vim temptassent, quod Aeduos, quod Ambarros, quod Allobrogas vexassent, memoriam deponere posse? Quod 4 sua victoria tam insolenter gloriarentur quodque tam diu se impune iniurias tulisse admirarentur, eodem pertinere. Con- 5 suesse enim deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundoiores interdum res et diuturniorem impunitatem concedere. Cum ea ita sint, tamen, si obsides ab iis sibi dentur, 6 uti ea, quae polliceantur, facturos intellegat, et si Aeduis de iniuriis, quas ipsis sociisque eorum intulerint, item si Allobrogibus satisfaciant, sese cum iis pacem esse facturum. Divico 7 respondit: Ita Helvetios a maioribus suis institutos esse, uti obsides accipere, non dare consuerint; eius rei populum Romanum esse testem. Hoc responso dato, discessit.

- 15.1 Postero die castra ex eo loco movent. Idem facit Caesar equitatumque omnem, ad numerum quattuor milium, quem ex omni provincia et Aeduis atque eorum sociis coactum habebat, praemittit, qui videant, quas in partes hostes iter faciant. Qui, cupidius novissimum agmen insecuti, alieno loco cum equitatu Helvetiorum proelium committunt; et pauci de nostris cadunt. Quo proelio sublatis, Helvetii, quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum propulerant, audacius subsistere nonnunquam et novissimo agmine proelio nostros lacessere coeperunt. Caesar suos a proelio continebat ac satis habebat in praesentia hostem rapinis, pabulationibus populationibusque prohibere. Ita dies circiter quindecim iter fecerunt, uti inter novissimum hostium agmen et nostrum primum non amplius quinque aut sex milibus passuum interesset.
- 16.1 Interim cotidie Caesar Aeduos frumentum, quod esset publice polliciti, flagitare. Nam propter frigora, quod Callia sub septentrionibus, ut ante dictum est, posita est, non modo frumenta in agris matura non erant, sed ne pabuli quidem satis magna copia suppetebat; eo autem frumento, quod flumine Arare navibus subvexerat, propterea uti minus poterat, quod iter ab Arare Helvetii averterant, a quibus discedere nolebat. Diem ex die ducere Aedui: conferri, comportari, adesse dicere. Ubi se diutius duci intellexit et diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret, convocatis eorum principibus, quorum magnam copiam in castris habebat, in his Divitiaco et Lisco, qui summo magistratui praeerat, quem vergobretum appellant Aedui, qui creatur annuus et vitae necisque in suos habet potestatem, graviter eos accusat, quod, cum neque emi neque ex agris sumi possit, tam necessario tempore, tam propinquis hostibus ab iis non sublevetur; praesertim cum magna ex parte eorum precibus adductus bellum susceperit, multo etiam gravius, quod sit destitutus queritur.
- 17.1 Tum demum Liscus, oratione Caesaris adductus, quod antea tacuerat, proponit: Esse nonnullos, quorum auctoritas apud plebem plurimum valeat, qui privatim plus possint quam ipsi magistratus. Hos seditiosa atque improba oratione multi-

tudinem detertere. ne frumentum conferant, quod debeant: prae- 3  
 stare, si iam principatum Galliae obtinere non possint, Cal-  
 lorum quam Romanorum imperia perferre, neque dubitare, 4  
 quin, si Helvetios superaverint Romani, una cum reliqua Gal-  
 lia Aeduis libertatem sint erepturi. Ab eisdem nostra consilia 5  
 quaeque in castris gerantur hostibus enuntiarī: hos a se coër-  
 ceri non posse. Quin etiam, quod necessariam rem coactus  
 Caesari enuntiarit, intellegere sese, quanto id cum periculo fe-  
 cerit, et ob eam causam, quam diu potuerit, tacuisse.

Caesar hac oratione Lisci Dumnorigem, Divitiaci fratrem, 18.1  
 designari sentiebat, sed, quod pluribus praesentibus eas res  
 iactari nolebat, celeriter concilium dimittit; Liscum retinet.  
 Quaerit ex solo ea, quae in conventu dixerat. Dicit liberius 2  
 atque audacius. Eadem secreto ab aliis quaerit; reperit esse  
 vera: ipsum esse Dumnorigem, summa audacia, magna apud 3  
 plebem propter liberalitatem gratia, cupidum rerum novarum;  
 complures annos portoria reliquaque omnia Aeduorum vectiga-  
 lia parvo pretio redempta habere, propterea quod, illo licente,  
 contra liceri audeat nemo. His rebus et suam rem familiarem 4  
 auxisse et facultates ad largiendum magnas comparasse; ma- 5  
 gnum numerum equitatus suo sumptu semper alere et circum  
 se habere, neque solum domi, sed etiam apud finitimas civita- 6  
 tes largiter posse atque huius potentiae causa matrem in Bitu-  
 rigibus homini illic nobilissimo ac potentissimo collocasse, ipsum 7  
 ex Helvetiis uxorem habere, sororem ex matre et propinquas  
 suas nuptum in alias civitates collocasse. Favere et cupere Hel- 8  
 vetiis propter eam affinitatem, odisse etiam suo nomine Caesarem  
 et Romanos, quod eorum adventu potentia eius deminuta,  
 et Divitiacus frater in antiquum locum gratiae atque honoris sit  
 restitutus. Si quid accidat Romanis, summam in spem 9  
 per Helvetios regni obtinendi venire; imperio populi Romani  
 non modo de regno, sed etiam de ea, quam habeat, gratia  
 desperare. Reperiebat etiam in quaerendo Caesar, quod proe- 10  
 lium equestre adversum paucis ante diebus esset factum, ini-  
 tium eius fugae factum a Dumnorige atque eius equitibus (nam  
 equitatuī, quem auxilio Caesari Aedui miserant, Dumnorigem  
 praerat); eorum fuga reliquum esse equitatum perterritum.

- 19.1 Quibus rebus cognitis, cum ad has suspiciones certissimae res accederent, quod per fines Sequanorum Helvetios traduxisset, quod obsides inter eos dandos curasset, quod ea omnia non modo iniussu suo et civitatis, sed etiam inscientibus ipsis fecisset, quod a magistratu Aeduorum accusaretur, satis esse causae arbitrabatur, quare in eum aut ipse animadverteret  
 2 aut civitatem animadvertere iuberet. His omnibus rebus unum repugnabat, quod Divitiaci fratris summum in populum Romanum studium, summam in se voluntatem, egregiam fidem, iustitiam, temperantiam cognoverat; nam, ne eius supplicio Divi-  
 3 tiaci animum offenderet, verebatur. Itaque prius, quam quicquam conaretur, Divitiacum ad se vocari iubet et, cotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Troucillum, principem Galliae provinciae, familiarem suum, cui summam omnium re-  
 4 rum fidem habebat, cum eo colloquitur; simul commonefacit, quae ipso praesente in concilio Gallorum de Dumnorige sint dicta, et ostendit, quae separatim quisque de eo apud se  
 5 dixerit. Petit atque hortatur, ut sine eius offensione animi vel ipse de eo, causa cognita, statuatur vel civitatem statuere iubeat.
- 20.1 Divitiacus multis cum lacrimis Caesarem complexus ob-  
 2 secrare coepit, ne quid gravius in fratrem statueret: scire se illa esse vera, nec quemquam ex eo plus quam se doloris capere, propterea quod, cum ipse gratia plurimum domi atque in reliqua Gallia, ille minimum propter adulescentiam posset,  
 3 per se crevisset; quibus opibus ac nervis non solum ad minuendam gratiam, sed paene ad perniciem suam uteretur. Sese ta-  
 4 men et amore fraterno et existimatione vulgi commoveri. Quod si quid ei a Caesare gravius accidisset, cum ipse eum locum amicitiae apud eum teneret, neminem existimaturum non sua voluntate factum; qua ex re futurum, uti totius Galliae animi  
 5 a se averterentur. Haec cum pluribus verbis flens a Caesare peteret, Caesar eius dextram prendit; consolatus, rogat, finem orandi faciat; tanti eius apud se gratiam esse ostendit, uti et reipublicae iniuriam et suum dolorem eius voluntati ac pre-  
 6 cibus condonet, Dumnorigem ad se vocat, fratrem adhibet; quae in eo reprehendat, ostendit; quae ipse intellegat, quae civitas queratur, proponit; monet, ut in reliquum tempus om-

nes suspiciones vitet; praeterita se Divitiaco fratri condonare dicit. Dumnorigi custodes ponit, ut, quae agat, quibuscum loquatur, scire possit.

Eodem die ab exploratoribus certior factus hostes sub monte consedisse milia passuum ab ipsius castris octo, qualis esset natura montis et qualis in circuitu ascensus, qui cognoscerent, misit. Renuntiatum est facilem esse. De tertia vigilia Titum Labienum, legatum pro praetore, cum duabus legionibus et his ducibus, qui iter cognoverant, summum iugum montis ascendere iubet; quid sui consilii sit, ostendit. Ipse de quarta vigilia eodem itinere, quo hostes ierant, ad eos contendit equitatumque omnem ante se mittit. P. Considius, qui rei militaris peritissimus habebatur et in exercitu L. Sullae et postea in M. Crassi fuerat, cum exploratoribus praemittitur.

Prima luce, cum summus mons a T. Labieno teneretur, ipse ab hostium castris non longius mille et quingentis passibus abesset, neque, ut postea ex captivis comperit, aut ipsius adventus aut Labieni cognitus esset, Considius equo admissis ad eum accurrit, dicit montem, quem a Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri: id se a Gallicis armis atque insignibus cognovisse. Caesar suas copias in proximum collem subducit, aciem instruit. Labienus, ut erat ei praeceptum a Caesare, ne proelium committeret, nisi ipsius copiae prope hostium castra visae essent, ut undique uno tempore in hostes impetus fieret, monte occupato, nostros exspectabat proelioque abstinebat. Multo denique die per exploratores Caesar cognovit et montem a suis teneri et Helvetios castra movisse et Considium, timore perterritum, quod non vidisset, pro viso sibi renuntiavisse. Eo die, quo consuerat intervallo, hostes sequitur et milia passuum tria ab eorum castris castra ponit.

Postridie eius diei, quod omnino biduum supererat, cum exercitui frumentum metiri oporteret, et quod a Bibracte, oppido Aeduorum longe maximo et copiosissimo, non amplius milibus passuum XVIII aberat, rei frumentariae prospiciendum existimavit: iter ab Helvetiis avertit ac Bibracte ire contendit. Ea res per fugitivos L. Aemilii, decurionis equi-

- 3 tum Gallorum, hostibus nuntiatur. Helvetii, seu quod timore  
 perterritos Romanos discedere a se existimarent, eo magis,  
 quod pridie, superioribus locis occupatis, proelium non com-  
 misissent, sive eo, quod re frumentaria intercludi posse con-  
 fiderent, commutato consilio atque itinere converso, nostros  
 a novissimo agmine insequi ac lacessere coeperunt.
- 24.1 Postquam id animum advertit, copias suas Caesar in pro-  
 ximum collem subduxit equitatumque, qui sustineret hostium  
 2 impetum, misit. Ipse interim in colle medio triplicem aciem  
 3 instruxit legionum quattuor veteranorum; sed in summo iugo  
 duas legiones, quas in Gallia citeriore proxime conscripserat,  
 et omnia auxilia collocari ac totum montem hominibus com-  
 pleri et interea sarcinas in unum locum conferri et eum ab  
 4 his, qui in superiore acie constiterant, muniri iussit. Helvetii  
 cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum  
 5 contulerunt; ipsi, confertissima acie reiecto nostro equitatu,  
 phalange facta, sub primam nostram aciem successerunt.
- 25.1 Caesar, primum suo, deinde omnium ex conspectu remo-  
 tis equis, ut, aequato omnium periculo, spem fugae tolleret,  
 2 cohortatus suos, proelium commisit. Milites, e loco superiore  
 pilis missis, facile hostium phalangem perfregerunt. Ea dis-  
 3 iecta, gladiis destrictis, in eos impetum fecerunt. Gallis magno  
 ad pugnam erat impedimento, quod, pluribus eorum scutis  
 uno ictu pilorum transfixis et colligatis, cum ferrum se in-  
 flexisset, neque evellere neque, sinistra impedita, satis com-  
 4 mode pugnare poterant, multi ut, diu iactato bracchio, prae-  
 optarent scutum manu emittere et nudo corpore pugnare.  
 5 Tandem, vulneribus defessi, et pedem referre et, quod mons  
 suberat circiter mille passuum spatio, eo se recipere coepe-  
 6 runt. Capto monte et succedentibus nostris, Boii et Tulingi,  
 qui hominum milibus circiter XV agmen hostium claudebant  
 et novissimis praesidio erant, ex itinere nostros ab latere  
 aperto aggressi circumvenere, et id conspicati Helvetii, qui  
 in montem sese receperant, rursus instare et proelium redin-  
 7 tegrare coeperunt. Romani conversa signa bipertito intulerunt:  
 prima et secunda acies, ut victis ac summotis resisteret, tertia,  
 ut venientes sustineret.

Ita ancipiti proelio diu atque acriter pugnatum est. Diu- 26.1  
tius cum sustinere nostrorum impetus non possent, alteri se,  
ut coeperant, in montem receperunt, alteri ad impedimenta  
et carros suos se contulerunt. Nam hoc toto proelio, cum ab 2  
hora septima ad vesperum pugnatum sit, aversum hostem  
videre nemo potuit. Ad multam noctem etiam ad impedimenta 3  
pugnatum est, propterea quod pro vallo carros obiecerant et  
e loco superiore in nostros venientes tela coniciebant, et non-  
nulli inter carros rhaedasque mataras ac tragulas subiciebant  
nostrosque vulnerabant. Diu cum esset pugnatum, impedi- 4  
mentis castrisque nostri potiti sunt. Ibi Orgetorigis filia atque  
unus e filiis captus est. Ex eo proelio circiter hominum mi- 5  
lia CXXX superfuerunt eaque tota nocte continenter ierunt;  
nullam partem noctis itinere intermisso, in fines Lingonum  
die quarto pervenerunt, cum et propter vulnera militum et  
propter sepulturam occisorum nostri triduum morati eos se-  
qui non potuissent. Caesar ad Lingonas litteras nuntiosque 6  
misit, ne eos frumento neve alia re iuvarent: qui si iuissent,  
se eodem loco, quo Helvetios, habiturum. Ipse, triduo inter-  
misso, cum omnibus copiis eos sequi coepit.

Helvetii, omnium rerum inopia adducti, legatos de dedi- 27.1  
tione ad eum miserunt. Qui cum eum in itinere convenissent 2  
seque ad pedes proiecissent suppliciterque locuti flentes pa-  
cem petissent, atque eos in eo loco, quo tum essent, suum  
adventum exspectare iussisset, paruerunt. Eo postquam Cae- 3  
sar pervenit, obsides, arma, servos, qui ad eos perfugissent,  
poposcit. Dum ea conquiruntur et conferuntur, nocte inter- 4  
missa circiter hominum milia sex eius pagi, qui Verbigenus  
appellatur, sive timore perterriti, ne, armis traditis, suppli-  
cio afficerentur, sive spe salutis inducti, quod in tanta mul-  
titudine dediticiorum suam fugam aut occultari aut omnino  
ignorari posse existimarent, prima nocte e castris Helvetio-  
rum egressi ad Rhenum finesque Germanorum contenderunt.

Quod ubi Caesar rescit, quorum per fines ierant, his, uti 28.1  
conquirent et reducerent, si sibi purgati esse vellent, im-  
peravit; reductos in hostium numero habuit, reliquos omnes, 2  
obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionem accepit. Hel- 3

vetios, Tulingos, Latovicos in fines suos, unde erant profecti, reverti iussit, et quod, omnibus fructibus amissis, domi nihil erat, quo famem tolerarent, Allobrogibus imperavit, ut his frumenti copiam facerent; ipsos oppida vicosque, quos incenderant, restituere iussit. Id ea maxime ratione fecit, quod noluit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare, ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, e suis finibus in Helvetiorum fines transirent et finitimi Galliae provinciae Allobrogibusque essent. Boios petentibus Aeduis, quod egregia virtute erant cogniti, ut in finibus suis collocarent, concessit; quibus illi agros dederunt quosque postea in parem iuris libertatisque condicionem, atque ipsi erant, receperunt.

- 29.1 In castris Helvetiorum tabulae repertae sunt, litteris Graecis confectae, et ad Caesarem relatae, quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exisset eorum qui arma ferre possent, et item separatim pueri, senes mulieresque. Quarum omnium rerum summa erat capitum: Helvetiorum milia CCLXIII, Tulingorum milia XXXVI, Latovicorum XIV, Rauricorum XXIII, Boiorum XXXII; ex his, qui arma ferre possent, ad milia nonaginta duo. Summa omnium fuerunt ad milia CCCLXVIII. Eorum, qui domum redierunt, censu habito, ut Caesar imperaverat, repertus est numerus milium C et decem.

### III. Sōda Ariovistiga.

Bello Helvetiorum confecto, totius fere Galliae legati, 30.1  
 principes civitatum, ad Caesarem gratulatum convenerunt: Intel-  
 legere sese, tametsi pro veteribus Helvetiorum iniuriis populi 2  
 Romani ab his poenas bello repetisset, tamen eam rem non  
 minus ex usu terrae Galliae, quam populi Romani accidisse,  
 propterea quod eo consilio, florentissimis rebus, domos suas 3  
 Helvetii reliquissent, uti toti Galliae bellum inferrent imperioque  
 potirentur locumque domicilio ex magna copia deligerent, quem  
 ex omni Gallia opportunissimum ac fructuosissimum iudicassent,  
 reliquasque civitates stipendiarias haberent. Petierunt, uti sibi  
 concilium totius Galliae in diem certam indicere idque Caesaris 4  
 voluntate facere liceret: sese habere quasdam res, quas ex  
 communi consensu ab eo petere vellent. Ea re permissa, diem  
 concilio constituerunt et iureiurando, ne quis enuntiaret, nisi 5  
 quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt.

Eo concilio dimisso, idem principes civitatum, qui ante 31.1  
 fuerant, ad Caesarem reverterunt petieruntque, uti sibi secreto  
 in occulto de sua omniumque salute cum eo agere liceret. Ea  
 re impetrata, sese omnes flentes Caesari ad pedes proiecerunt: 2  
 Non minus se id contendere et laborare, ne ea, quae dixissent,  
 enuntiarentur, quam uti ea, quae vellent, impetrarent, propterea  
 quod, si enuntiatum esset, summum in cruciatum se venturos  
 viderent. Locutus est pro his Divitiacus Aedius: Galliae totius 3  
 factiones esse duas: harum alterius principatum tenere Aeduos,  
 alterius Arvernos. Hi cum tantopere de potentatu inter se multos 4  
 annos contenderent, factum esse, uti ab Arvernibus Sequanisque  
 Germani mercede arcesserentur. Horum primo circiter milia  
 XV Rhenum transisse; posteaquam agros et cultum et copias 5  
 Gallorum homines feri ac barbari adamassent, traductos plures;  
 nunc esse in Gallia ad centum et XX milium numerum. Cum 6  
 his Aeduos eorumque clientes semel atque iterum armis conten-  
 disse; magnam calamitatem pulsos accepisse, omnem nobilitatem,  
 omnem senatum, omnem equitatum amisisse. Quibus proeliis 7  
 calamitatibusque fractos, qui et sua virtute et populi Romani

hospitio atque amicitia plurimum ante in Gallia potuissent,  
 coactos esse Sequanis obsides dare nobilissimos civitatis et  
 iureiurando civitatem obstringere, sese neque obsides repetituros  
 neque auxilium a populo Romano imploratos neque recusatos,  
 8 quo minus perpetuo sub illorum ditione atque imperio essent.  
 Unum se esse ex omni civitate Aeduorum, qui adduci non  
 9 potuerit, ut iuraret aut liberos suos obsides daret. Ob eam  
 rem se ex civitate profugisse et Romam ad senatum venisse  
 auxilium postulatum, quod solus neque iureiurando neque  
 10 obsidibus teneretur. Sed peius victoribus Sequanis quam Aeduis  
 victis accidisse, propterea quod Ariovistus, rex Germanorum,  
 in eorum finibus consedisset, tertiamque partem agri Sequani,  
 qui esset optimus totius Galliae, occupavisset et nunc de altera  
 parte tertia Sequanos decedere iuberet, propterea quod paucis  
 mensibus ante Harudum milia hominum XXIV ad eum venissent,  
 11 quibus locus ac sedes pararentur. Futurum esse paucis annis,  
 uti omnes ex Galliae finibus pellerentur, atque omnes Germani  
 Rhenum transirent; neque enim conferendum esse Gallicum cum  
 Germanorum agro, neque hanc consuetudinem victus cum illa  
 12 comparandam. Ariovistum autem, ut semel Gallorum copias  
 proelio vicerit, quod proelium factum sit Admagetobrigae, su-  
 perbe et crudeliter imperare, obsides nobilissimi cuiusque libe-  
 ros poscere et in eos omnia exempla cruciatusque edere, si qua  
 13 res non ad nutum aut ad voluntatem eius facta sit. Hominem  
 esse barbarum, iracundum, temerarium; non posse eius imperia  
 14 diutius sustinere. Nisi si quid in Caesare populoque Romano  
 sit auxilii, omnibus Gallis idem esse faciendum, quod Helvetii  
 fecerint, ut domo emigrent, aliud domicilium, alias sedes, re-  
 motas a Germanis, petant fortunamque, quaecumque accadat,  
 15 experiantur. Haec si enuntiata Ariovisto sint, non dubitare,  
 quin de omnibus obsidibus, qui a quod eum sint, gravissimum  
 16 supplicium sumat. Caesarem vel auctoritate sua atque exercitus  
 vel recenti victoria vel nomine populi Romani deterrere posse,  
 ne maior multitudo Germanorum Rhenum traducatur, Gal-  
 liamque omnem ab Ariovisti iniuria posse defendere.  
 32.1 Hac oratione ab Divitiaco habita, omnes, qui aderant,  
 2 magno fletu auxilium a Caesare petere coeperunt. Animadvertit

Caesar unos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas ceteri facerent, sed tristes capite demisso terram intueri. Eius rei quae causa esset, miratus ex ipsis quaesivit. Nihil Sequani respondere, sed in eadem tristitia taciti permanere. <sup>3</sup> Cum ab his saepius quaereret neque ullam omnino vocem exprimere posset, idem Divitiacus Aeduus respondit: Hoc esse miseriorem et graviorem fortunam Sequanorum quam reliquorum, <sup>4</sup> quod soli ne in occulto quidem queri neque auxilium implorare auderent absentisque Ariovisti crudelitatem, velut si coram adesset, horrerent, propterea quod reliquis tamen fugae facultas <sup>5</sup> daretur, Sequanis vero, qui intra fines suos Ariovistum recepissent, quorum oppida omnia in potestate eius essent, omnes cruciatus essent perferendi.

His rebus cognitis, Caesar Gallorum animos verbis confirmavit <sup>33.1</sup> pollicitusque est sibi eam rem curae futuram: magnam se habere spem et beneficio suo et auctoritate adductum Ariovistum finem <sup>2</sup> iniuriis facturum. Hac oratione habita, concilium dimisit. Et secundum ea multae res eum hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam et suscipiendam putaret, imprimis, quod Aeduos, fratres consanguineosque saepenumero a senatu appellatos, in servitute atque in ditione videbat Germanorum teneri, eorumque obsides esse apud Ariovistum ac Sequanos intellegebat; quod in tanto imperio populi Romani turpissimum sibi et reipublicae esse arbitrabatur. Paulatim autem Germanos consuescere Rhenum <sup>3</sup> transire et in Galliam magnam eorum multitudinem venire populo Romano periculosum videbat; neque sibi homines feros <sup>4</sup> ac barbaros temperaturos existimabat, quin, cum omnem Galliam occupavissent, ut ante Cimbri Teutonique fecissent, in provinciam exirent atque inde in Italiam contenderent, praesertim cum Sequanos a provincia nostra Rhodanus divideret; quibus rebus quam maturime occurrendum putabat. Ipse autem Ariovistus <sup>5</sup> tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur.

Quamobrem placuit ei, ut ad Ariovistum legatos mitteret, <sup>34.1</sup> qui ab eo postularent, uti aliquem locum medium utriusque colloquio deligeret: velle sese de re publica et summis utriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariovistus respondit: <sup>2</sup>

Si quid ipsi a Caesare opus esset, sese ad eum venturum fuisse;  
 3 si quid ille se velit, illum ad se venire oportere. Praeterea se  
 neque sine exercitu in eas partes Galliae venire audere, quas  
 Caesar possideret, neque exercitum sine magno comite atque  
 4 molimento in unum locum contrahere posse. Sibi autem mirum  
 videri, quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Caesari aut  
 omnino populo Romano negotii esset.

35.1 His responsis ad Caesarem relatis, iterum ad eum Caesar  
 2 legatos cum his mandatis mittit: Quoniam, tanto suo populique  
 Romani beneficio affectus, cum in consulatu suo rex atque  
 amicus a senatu appellatus esset, hanc sibi populoque Romano  
 gratiam referret, ut in colloquium venire invitatus gravaretur  
 neque de communi re dicendum sibi et cognoscendum putaret,  
 3 haec esse, quae ab eo postulare: primum, ne quam multitu-  
 dinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam traduceret;  
 deinde obsides, quos haberet ab Aeduis, redderet Sequanisque  
 4 permitteret, ut, quos illi haberent, voluntate eius reddere illis  
 liceret; neve Aeduos iniuria lacesseret, neve his sociisque eorum  
 bellum inferret. Si ita fecisset, sibi populoque Romano perpetuam  
 gratiam atque amicitiam cum eo futuram; si non impetraret,  
 sese, quoniam, M. Messala M. Pisone consulibus, senatus censuisset,  
 uti, quicumque Calliam provinciam obtineret, quod commodo reipublicae  
 facere posset, Aeduos ceterosque amicos populi Romani defenderet,  
 se Aeduorum iniurias non neglecturum.

36.1 Ad haec Ariovistus respondit: Ius esse belli, ut, qui vicissent,  
 iis, quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent; item  
 populum Romanum victis non ad alterius praescriptum, sed ad  
 2 suum arbitrium imperare consuesse. Si ipse populo Romano  
 non praescriberet, quemadmodum suo iure uteretur, non oportere  
 3 se a populo Romano in suo iure impediri. Aeduos sibi,  
 quoniam belli fortunam temptassent et armis congressi ac su-  
 4 perati essent, stipendiarios esse factos. Magnam Caesarem iniuriam  
 facere, qui suo adventu vectigalia sibi deteriora faceret.  
 5 Aeduis se obsides redditurum non esse, neque his neque eorum  
 sociis iniuria bellum illaturum, si in eo manerent, quod convenisset,  
 stipendiumque quotannis penderent; si id non fecissent,  
 6 longe his fraternum nomen populi Romani a futurum. Quod

sibi Caesar denuntiaret se Aeduorum iniurias non neglecturum, neminem secum sine sua pernicie contendisse. Cum vellet, congrederetur: intellecturum, quid invicti Germani, exercitatissimi in armis, qui inter annos XIV tectum non subissent, virtute possent.

Haec eodem tempore Caesari mandata referebantur, et legati ab Aeduis et a Treveris veniebant: Aedui questum, quod Harudes, qui nuper in Galliam transportati essent, fines eorum popularentur: sese ne obsidibus quidem datis pacem Ariovisti redimere potuisse; Treveri autem pagos centum Sueborum ad ripas Rheni consedissee, qui Rhenum transire conarentur; his praeesse Nasuam et Cimberium fratres. Quibus rebus Caesar vehementer commotus maturandum sibi existimavit, ne, si nova manus Sueborum cum veteribus copiis Ariovisti sese coniunxisset, minus facile resisti posset. Itaque, re frumentaria quam celerrime potuit comparata, magnis itineribus ad Ariovistum contendit.

Cum tridui viam processisset, nuntiatum est ei Ariovistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesontionem, quod est oppidum maximum Sequanorum, contendere triduique viam a suis finibus profecisse. Id ne accideret, magnopere sibi praecavendum Caesar existimabat. Namque omnium rerum, quae ad bellum usui erant, summa erat in eo oppido facultas, idque natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem, propterea quod flumen Dubis, ut circino circumductum, paene totum oppidum cingit; reliquum spatium, quod est non amplius pedum mille sescentorum, qua flumen intermittit, mons continet magna altitudine, ita ut radices montis ex utraque parte ripae fluminis contingant. Hunc murus circumdatus arcem efficit et cum oppido coniungit. Huc Caesar magnis nocturnis diurnisque itineribus contendit occupatoque oppido ibi praesidium collocat.

Dum paucos dies ad Vesontionem rei frumentariae commensusque causa moratur, ex percontatione nostrorum vocibusque Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse praedicabant (saepenumero sese cum his congressos ne vultum

quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse), tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter  
 2 omnium mentes animosque perturbaret. Hic primum ortus est a tribunis militum, praefectis reliquisque, qui, ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti, non magnum in re militari usum habe-  
 3 bant; quorum alius alia causa illata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat, ut eius voluntate discedere liceret; nonnulli, pudore adducti, ut timoris suspicionem vitarent,  
 4 remanebant. Hi neque vultum fingere neque interdum lacrimas tenere poterant: abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. Vulgo totis castris testamenta obsignabantur. Horum vocibus ac timore paulatim etiam ii, qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque quique equitatu praerant, perturbabantur. Qui se ex his minus timidos existimari volebant, non se hostem vereri, sed angustias itineris et magnitudinem silvarum, quae intercederent inter ipsos atque Ariovistum, aut rem frumentariam, ut satis commode supportari  
 7 posset, timere dicebant. Nonnulli etiam Caesari nuntiarant, cum castra moveri ac signa ferri iussisset, non fore dicto audientes milites neque propter timorem signa laturos.

40.1 Haec cum animadvertisset, convocato consilio omniumque ordinum ad id consilium abhibitis centurionibus, vehementer eos incusavit: primum, quod, aut quam in partem aut quo consilio ducerentur, sibi quaerendum aut cogitandum putarent,  
 2 Ariovistum, se consule, cupidissime populi Romani amicitiam appetisse; cur hunc tam temere quisquam ab officio discessurum  
 3 iudicaret? Sibi quidem persuaderi, cognitis suis postulatis atque aequitate condicionum perspecta, eum neque suam neque  
 4 populi Romani gratiam repudiaturum. Quod si, furore atque amentia impulsus, bellum intulisset, quid tandem vererentur? aut cur de sua virtute aut de ipsius diligentia desperarent?  
 5 Factum eius hostis periculum patrum nostrorum memoria, cum, Cimbris et Teutonis a Gaio Mario pulsus, non minorem laudem exercitus quam ipse imperator meritus videbatur; factum etiam nuper in Italia servili tumultu, quos tamen aliquid usus  
 6 ac disciplina, quae a nobis accepissent, sublevarent. Ex quo

iudicari posse, quantum haberet in se boni constantia, propterea quod, quos aliquamdiu inermos sine causa timuissent, hos postea armatos ac victores superassent. Denique hos esse eosdem, quibuscum saepenumero Helvetii congressi non solum in suis, sed etiam in illorum finibus plerumque superarint, qui tamen pares esse nostro exercitui non potuerint. Si quos adversum proelium et fuga Gallorum commoveret, hos, si quaererent, reperire posse, diurnitate belli defatigatis Gallis, Ariovistum, cum multos menses castris se ac paludibus tenuisset neque sui potestatem fecisset, desperantes iam de pugna et dispersos subito adortum, magis ratione et consilio quam virtute vicisse. Cui rationi contra homines barbaros atque imperitos locus fuisset, hac ne ipsum quidem sperare nostros exercitus capi posse. Qui suum timorem in rei frumentariae subvectionem angustiasque itineris conferrent, facere arroganter, cum aut de officio imperatoris desperare aut praescribere videntur. Haec sibi esse curae; frumentum Sequanos, Leucos, Lingones subministrare, iamque esse in agris frumenta matura; de itinere ipsos brevi tempore iudicatuos. Quod non fore dicto audientes neque signa laturo dicantur, nihil se ea re commoveri: scire enim, quibuscumque exercitus dicto audiens non fuerit, aut male re gesta fortunam defuisse aut aliquo facinore comperto avaritiam esse convictam; suam innocentiam perpetua vita, felicitatem Helvetiorum bello esse perspectam. Itaque se, quod in longiorem diem collaturus fuisset, repraesentaturum et proxima nocte de quarta vigilia castra moturum, ut quam primum intellegere posset, utrum apud eos pudor atque officium an timor valeret. Quod si praeterea nemo sequatur, tamen cum sola decima legione iturum, de qua non dubitaret, sibi eam praetoriam cohortem futuram. Huic legioni Caesar et indulserat praecipue et propter virtutem confidebat maxime.

Hac oratione habita, mirum in modum conversae sunt omnium mentes, summaque alacritas et cupiditas belli gerendi iniecta est, princepsque decima legio per tribunos militum ei gratias egit, quod de se optimum iudicium fecisset, seque esse ad bellum gerendum paratissimam confirmavit. Deinde reliquae legiones cum tribunis militum et primorum ordinum cen-

- turionibus egerunt, uti Caesari satisfacerent: se nec unquam dubitasse neque timuisse neque de summa belli suum iudicium, sed imperatoris esse existimavisse. Eorum satisfactione accepta et itinere exquisito per Divitiacum, quod ex Gallis ei maximam fidem habebat, ut milium amplius quinquaginta circuitu locis apertis exercitum duceret, de quarta vigilia, ut dixerat, profectus est. Septimo die, cum iter non intermitteret, ab exploratoribus certior factus est Ariovisti copias a nostris milibus passuum quattuor et XX abesse.
- 42.1 Cognito Caesaris adventu, Ariovistus legatos ad eum mittit: quod antea de colloquio postulasset, id per se fieri licere, quoniam propius accessisset, seque id sine periculo facere posse existimare. Non respuit condicionem Caesar iamque eum ad sanitatem reverti arbitrabatur, cum id, quod antea petenti denegasset, ultro polliceretur, magnamque in spem veniebat pro suis tantis populique Romani in eum beneficiis, cognitis suis postulatis, fore, uti pertinacia desisteret. Dies colloquio dictus est ex eo die quintus. Interim saepe ultro citroque cum legati inter eos mitterentur, Ariovistus postulavit, ne quem peditem ad colloquium Caesar adduceret: vereri se, ne per insidias ab eo circumveniretur; uterque cum equitatu veniret; alia ratione sese non esse venturum. Caesar, quod neque colloquium interposita causa tolli volebat neque salutem suam Gallorum equitatu committere audebat, commodissimum esse statuit, omnibus equis Gallis equitibus detractis, eo legionarios milites legionis decimae, cui maxime confidebat, imponere, ut praesidium quam amicissimum, si quid opus facto esset, haberet. Quod cum fieret, non irridicule quidam ex militibus decimae legionis dixit plus, quam pollicitus esset, Caesarem facere; pollicitum se in cohortis praetoriae loco decimam legionem habiturum, ad equum rescribere.
- 43.1 Planities erat magna et in ea tumulus terrenus satis grandis. Hic locus aequo fere spatio ab castris Ariovisti et Caesaris aberat. Eo, ut erat dictum, ad colloquium venerunt. Legionem Caesar, quam equis vexerat, passibus ducentis ab eo tumulo constituit. Item equites Ariovisti pari intervallo constiterunt. Ariovistus, ex equis ut colloquerentur et praeter

se denos ut ad colloquium adducerent, postulavit. Ubi eo 4  
 ventum est, Caesar, initio orationis sua senatusque in eum  
 beneficia commemoravit, quod rex appellatus esset a senatu,  
 quod amicus, quod munera amplissime missa: quam rem et  
 paucis contigisse et pro magnis hominum officiis consuesse  
 tribui docebat; illum, cum neque aditum neque causam postu- 5  
 landi iustam haberet, beneficio ac liberalitate sua ac senatus  
 ea praemia consecutum. Docebat etiam, quam veteres quamque 6  
 iustae causae necessitudinis ipsis cum Aeduis intercederent:  
 quae senatusconsulta quotiens quamque honorifica in eos facta 7  
 essent; ut omni tempore totius Galliae principatum Aedui  
 tenuissent, prius etiam, quam nostram amicitiam appetissent.  
 Populi Romani hanc esse consuetudinem, ut socios atque ami- 8  
 cos non modo sui nihil deperdere, sed gratia, dignitate, honore  
 auctiores velit esse; quod vero ad amicitiam populi Romani  
 attulissent, id iis eripi quis pati posset? Postulavit deinde 9  
 eadem, quae legatis in mandatis dederat: ne aut Aeduis au-  
 eorum sociis bellum inferret; obsides redderet; si nullam partem  
 Germanorum domum remittere posset, at ne quos amplius  
 Rhenum transire pateretur.

Ariovistus ad postulata Caesaris pauca respondit, de suis 44.1  
 virtutibus multa praedicavit: Transisse Rhenum sese non sua 2  
 sponte, sed rogatum et accessitum a Gallis; non sine magna  
 spe magnisque praemiis domum propinquosque reliquisse; sedes  
 habere in Gallia ab ipsis concessas, obsides ipsorum voluntate  
 datos; stipendium capere iure belli, quod victores victis impo- 3  
 nere consuerint. Non sese Gallis, sed Gallos sibi bellum intu-  
 lisse: omnes Galliae civitates ad se oppugnandum venisse ac  
 contra se castra habuisse; eas omnes copias a se uno proelio  
 pulsas ac superatas esse. Si iterum experiri velint, se iterum 4  
 paratum esse decertare; si pace uti velint, iniquum esse de  
 stipendio recusare, quod sua voluntate ad id tempus pepen-  
 derint. Amicitiam populi Romani sibi ornamento et praesidio, 5  
 non detrimento esse oportere, idque se ea spe petisse. Si per  
 populum Romanum stipendium remittatur et dediticii subtra-  
 hantur, non minus libenter sese recusaturum populi Romani  
 amicitiam, quam appetierit. Quod multitudinem Germanorum 6

in Galliam traducat, id se sui muniendi, non Galliae impugandae causa facere; eius rei testimonium esse, quod nisi rogatus non venerit et quod bellum non intulerit, sed defenderit.

- 7 Se prius in Galliam venisse quam populum Romanum. Nunquam ante hoc tempus exercitum populi Romani Galliae provinciae finibus egressum. Quid sibi vellet? cur in suas possessiones veniret? Provinciam suam hanc esse Galliam, sicut illam nostram. Ut ipsi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, quod in suo iure se interpellaremus. Quod fratres Aeduos appellatos diceret, non se tam barbarum neque tam imperitum esse rerum, ut non sciret neque bello Allobrogum proximo Aeduos Romanis auxilium tulisse, neque ipsos in his contentionibus, quas Aedui secum et cum Sequanis habuissent, auxilio populi Romani usos esse.
- 10 Debere se suspicari simulata Caesarem amicitia, quod exercitum  
11 in Gallia habeat, sui opprimendi causa habere. Qui nisi decedat atque exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro  
12 amico, sed hoste habiturum. Quod si eum interfecerit, multis sese nobilibus principibusque populi Romani gratum esse facturum; id se ab ipsis per eorum nuntios compertum habere, quorum omnium gratiam atque amicitiam eius morte redimere posset. Quod si discessisset et liberam possessionem Galliae sibi tradidisset, magno se illum praemio remuneraturum et, quaecumque bella  
geri vellet, sine ullo eius labore et periculo confecturum.

- 45.1 Multa ab Caesare in eam sententiam dicta sunt, quare negotio desistere non posset: neque suam neque populi Romani consuetudinem pati, uti optime merentes socios desereret, neque se iudicare Galliam potius esse Ariovisti quam populi Romani.
- 2 Bello superatos esse Arvernos et Rutenos ab Quinto Fabio Maximo, quibus populus Romanus ignovisset neque in provinciam redegisset neque stipendium imposuisset. Quod si antiquissimum quodque tempus spectari oporteret, populi Romani iustissimum esse in Gallia imperium; si iudicium senatus observari oporteret, liberam debere esse Galliam, quam bello victam suis legibus uti voluisset.

- 46.1 Dum haec in colloquio geruntur, Caesari nuntiatum est equites Ariovisti propius tumulum accedere et ad nostros

adequitare, lapides telaque in nostros conicere. Caesar loquendi 2  
finem facit seque ad suos recepit suisque imperavit, ne quod  
omnino telum in hostes reicerent. Nam etsi sine ullo periculo 3  
legionis delectae cum equitatu proelium fore videbat, tamen  
committendum non putabat, ut, pulsis hostibus, dici posset  
eos ab se per fidem in colloquio circumventos. Posteaquam 4  
in vulgus militum elatum est, qua arrogantia in colloquio  
Ariovistus usus omni Gallia Romanis interdixisset, impetum-  
que in nostros eius equites fecissent, eaque res colloquium ut  
diremisset, multo maior alacritas studiumque pugnandi maius  
exercitui iniectum est.

Biduo post Ariovistus ad Caesarem legatos mittit: Velle 47,1  
se de his rebus, quae inter eos agi coeptae neque perfectae  
essent, agere cum eo; uti aut iterum colloquio diem constitue-  
ret aut, si id minus vellet, e suis legatum aliquem ad se mit-  
teret. Colloquendi Caesari causa visa non est, et eo magis, 2  
quod pridie eius diei Germani retineri non potuerant, quin  
in nostros tela conicerent. Legatum e suis sese magno cum 3  
periculo ad eum missurum et hominibus feris obiecturum  
existimabat. Commodissimum visum est Gaium Valerium Pro- 4  
cillum, C. Valerii Caburi filium, summa virtute et humanitate  
adulescentem, cuius pater a Gaio Valerio Flacco civitate dona-  
tus erat, et propter fidem et propter linguae Gallicae scien-  
tiam, qua multa iam Ariovistus longinqua consuetudine uteba-  
tur, et quod in eo peccandi Germanis causa non esset, ad eum  
mittere et Marcum Metium, qui hospitio Ariovisti utebatur.  
His mandavit, ut, quae diceret Ariovistus, cognoscerent et ad 5  
se referrent. Quos cum apud se in castris Ariovistus con- 6  
spexisset, exercitu suo praesente conclamavit: Quid ad se  
venirent? an speculandi causa? Conantes dicere prohibuit et  
in catenas coniecit.

Eodem die castra promovit et milibus passuum sex a Caes- 48,1  
saris castris sub monte consedit. Postridie eius diei praeter 2  
castra Caesaris suas copias traduxit et milibus passuum duo-  
bus ultra eum castra fecit, eo consilio, uti frumento commea-  
tuque, qui ex Sequanis et Aeduis supportaretur, Caesarem  
intercluderet. Ex eo die dies continuos quinque Caesar pro 3

- castris suas copias produxit et aciem instructam habuit, ut, si vellet Ariovistus proelio contendere, ei potestas non deesset.
- 4 Ariovistus his omnibus diebus exercitum castris continuit, equestri proelio cotidie contendit. Genus hoc erat pugnae,
- 5 quo se Germani exercuerant. Equitum milia erant sex, totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos suae salutis causa delegerant, cum his
- 6 in proeliis versabantur. Ad eos se equites recipiebant; hi, si quid erat durius, concurrebant, si qui, graviore vulnere accepto,
- 7 equo deciderat, circumstiebant; si quo erat longius prodeundum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut iubis equorum sublevati cursum adaequarent.
- 49.1 Ubi eum castris se tenere Caesar intellexit, ne diutius commeatu prohiberetur, ultra eum locum, quo in loco Germani conederant, circiter passus sescentos ab his, castris idoneum locum delegit acieque triplici instructa ad eum locum
- 2 venit. Primam et secundam aciem in armis esse, tertiam
- 3 castra munire iussit. Hic locus ab hoste circiter passus sescentos, uti dictum est, aberat. Eo circiter hominum numero sedecim milia expedita cum omni equitatu Ariovistus misit,
- 4 quae copiae nostros terrerent et munitione prohiberent. Nihil osetius Caesar, ut ante constituerat, duas acies hostem propulsare, tertiam opus perficere iussit. Munitis castris, duas ibi legiones reliquit et partem auxiliorum, quattuor reliquas in castra maiora reduxit.
- 50.1 Proximo die instituto suo Caesar e castris utrisque copias suas eduxit paulumque a maioribus castris progressus aciem
- 2 instruxit, hostibus pugnandi potestatem fecit. Ubi ne tum quidem eos prodire intellexit, circiter meridiem exercitum in castra reduxit. Tum demum Ariovistus partem suarum copiarum, quae castra minora oppugnaret, misit. Acriter utrimque usque
- 3 ad vesperum pugnatum est. Solis occasu suas copias Ariovistus, multis et illatis et acceptis vulneribus, in castra reduxit. Cum ex captivis quaereret Caesar, quamobrem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam, quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matrefamiliae eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrum proelium committi ex usu esset

necne; eas ita dicere: Non esse fas Germanos superare, si 5  
ante novam lunam proelio contendissent.

Postridie eius diei Caesar praesidium utrisque castris, quod 51.1  
satis esse visum est, reliquit, omnes alarios in conspectu hostium  
pro castris minoribus constituit, quod minus multitudine mili-  
tum legionariorum pro hostium numero valebat, ut ad speciem  
alariis uteretur; ipse, triplici instructa acie, usque ad castra  
hostium accessit. Tum demum necessario Germani suas copias 2  
castris eduxerunt generatimque constituerunt paribus intervallis,  
Harudes, Marcomanos, Triboces, Vangiones, Nemetes, Sedusios,  
Suebos, omnemque aciem suam rhaedis et carris circumdederunt,  
ne qua spes in fuga relinqueretur. Eo mulieres imposuerunt,  
quae in proelium proficiscentes passis manibus flentes implo- 3  
rabant, ne se in servitatem Romanis traderent.

Caesar singulis legionibus singulos legatos et quaestorem 52.1  
praefecit, uti eos testes suae quisque virtutis haberet; ipse a 2  
dextro cornu, quod eam partem minime firmam hostium esse  
animadverterat, proelium commisit. Ita nostri acriter in hostes, 3  
signo dato, impetum fecerunt, itaque hostes repente celeriterque  
procurrerunt, ut spatium pila in hostes coniciendi non daretur.  
Reiectis pilis, comminus gladiis pugnatum est. At Germani, 4  
celeriter ex consuetudine sua phalange facta, impetus gladiatorum 5  
exceperunt. Reperti sunt complures nostri milites, qui in pha-  
langas insilirent et scuta manibus revellerent et desuper vulne- 6  
rarent. Cum hostium acies a sinistro cornu pulsa atque in  
fugam conversa esset, a dextro cornu vehementer multitudine  
suorum nostram aciem premebant. id cum animadvertisset  
Publius Crassus adulescens, qui equitatu praerat, quod expe- 7  
ditior erat quam ii, qui inter aciem versabantur, tertiam aciem  
laborantibus nostris subsidio misit.

Ita proelium restitutum est, atque omnes hostes terga ver- 53.1  
terunt neque prius fugere destiterunt, quam ad flumen Rhenum,  
milia passuum ex eo loco circiter quinquaginta, pervenerunt.  
Ibi perpauci aut viribus confisi transnare contenderunt aut 2  
lintribus inventis sibi salutem reppererunt. In his fuit Ariovis- 3  
tus, qui, naviculam deligatam ad ripam nactus, ea profugit;

4 reliquos omnes equitatu consecuti nostri interfecerunt. Duae fuerunt Ariovisti uxores, una Sueba natione, quam domo secum duxerat, altera Norica, regis Voccionis soror, quam in Gallia duxerat a fratre missam: utraque in ea fuga perierunt; duae filiae: harum altera occisa, altera capta est.

54.1 Gaius Valerius Procillus, cum a custodibus in fuga trinis catenis vinctus traheretur, in ipsum Caesarem, hostes equitatu  
2 persequentem, incidit. Quae quidem res Caesari non minorem quam ipsa victoria voluptatem attulit, quod hominem honestissimum provinciae Galliae, suum familiarem et hospitem, ereptum e manibus hostium sibi restitutum videbat, neque eius calamitate de tanta voluptate et gratulatione quicquam fortuna deminuerat. Is, se praesente, de se ter sortibus consultum dicebat, utrum igni statim necaretur an in aliud tempus reservaretur:  
3 sortium beneficio se esse incolumem. Item Marcus Metius reperi-  
4 tus et ad eum reductus est.

55.1 Hoc proelio trans Rhenum nuntiato, Suebi, qui ad ripas Rheni venerant, domum reverti coeperunt; quos Ubii, qui proximi Rhenum incolunt, perterritos senserunt: insecuti, magnum  
2 ex his numerum occiderunt. Caesar, una aestate duobus maximis bellis confectis, maturius paulo, quam tempus anni postulabat, in hiberna in Sequanos exercitum deduxit; hibernis Labienum praeposuit; ipse in citeriorem Galliam ad conventus agendos profectus est.

# Commentarius sextus.

## I. Gallialaste kombed.

... In Gallia non solum in omnibus civitatibus atque in 11.2  
omnibus pagis partibusque, sed paene etiam in singulis domibus  
factiones sunt, earumque factionum principes sunt, qui summam 3  
auctoritatem eorum iudicio habere existimantur, quorum ad ar-  
bitrium iudiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat;  
idque eius rei causa antiquitus institutum videtur, ne quis ex 4  
plebe contra potentiores auxilium egeret; suos enim quisque  
opprimi et circumveniri non patitur, neque, aliter si faciat,  
ullam inter suos habet auctoritatem. Haec eadem ratio est  
in summa totius Galliae: namque omnes civitates in partes 5  
divisae sunt duas.

Cum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes 12.1  
erant Aedui, alterius Sequani. Hi cum per se minus valerent, 2  
quod summa auctoritas antiquitus erat in Aeduis magna-  
eorum erant clientelae, Germanos atque Ariovistum sibi adiun-  
xerant eosque ad se magnis iacturis pollicitationibusque per-  
duxerant. Proeliis vero compluribus factis secundis atque omni 3  
nobilitate Aeduorum interfecta, tantum potentia antecesserant, 4  
ut magnam partem clientium ab Aeduis ad se traducerent,  
obsidesque ab his principum filios acciperent et publice iurare  
cogerent nihil se contra Sequanos consilii inituros et partem  
finitimi agri, per vim occupatam, possiderent Galliaeque totius  
principatum obtinerent. Qua necessitate adductus, Divitiacus, 5  
auxilium petendi causa Romam ad senatum profectus, imperfecta  
re redierat. Adventu Caesaris facta commutatione rerum, obsi- 6  
dibus Aeduis redditis, veteribus clientelis restitutis, novis per  
Caesarem comparatis, quod ii, qui se ad eorum amicitiam

aggregaverant, meliore condicione atque aequiore imperio se  
 uti videbant, reliquis rebus eorum gratia dignitateque ampli-  
 7 ficata, S<sup>u</sup>ani principatum dimiserant. In eorum locum Remi  
 successerant. Quos quod adaequare apud Caesarem gratia in-  
 tellegebatur, ii, qui propter veteres inimicitias nullo modo cum  
 Aeduis coniungi poterant, se Remis in clientelam dicabant.  
 8 Hos illi diligenter tuebantur: ita et novam et repente collectam  
 9 auctoritatem tenebant. Eo tum statu res erat, ut longe princi-  
 pes haberentur Aedui, secundum locum dignitatis Remi obtinerent.  
 13.1 In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero  
 atque honore, genera sunt duo. Nam plebes paene servorum  
 habetur loco, quae nihil audet per se, nullo adhibetur consilio.  
 2 Plerique, cum aut aere alieno aut magnitudine tributorum aut  
 iniuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobi-  
 3 libus. Iis in hos eadem omnia sunt iura, quae dominis in  
 servos. Sed de his duobus generibus alterum est druidum,  
 4 alterum equitum. Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica  
 ac privata procurant, religiones interpretantur; ad hos magnus  
 adolescentium numerus disciplinae causa concurrit, magnoque  
 5 hi sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controversiis  
 publicis privatisque constituunt, et, si quod est admissum facin-  
 nus, si caedes facta, si de hereditate, de finibus controversia  
 est, idem decernunt; praemia poenasque constituunt. Si qui  
 6 aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis  
 interdicitur. Haec poena apud eos est gravissima. Quibus ita  
 7 est interdictum, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur,  
 his omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, ne quid;  
 ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius  
 redditur neque honos ullus communicatur. His autem omnibus  
 8 druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctori-  
 9 tem. Hoc mortuo aut, si qui ex reliquis excellit dignitate,  
 succedit, aut, si sunt plures pares, suffragio druidum, nonnun-  
 quam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni  
 10 tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media  
 habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique,  
 qui controversias habent, conveniunt eorumque decretis iudiciis-  
 11 que parent. Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam

translata esse existimatur, et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur. 12

Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum 14.1 reliquis pendunt, militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis, et sua sponte multi in 2 disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos 3 nonnulli XX in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis litteris utantur. Id mihi dua- 4 bus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere; quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Imprimis hoc volunt persuadere, non interire ani- 5 mas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto. Multa 6 praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti tradunt.

Alterum genus est equitum. Hi, cum est usus atque ali- 15.1 quod bellum incidit (quod fere ante Caesaris adventum quotannis accidere solebat, uti aut ipsi iniurias inferrent aut illatas propulsarent), omnes in bello versantur, atque eorum ut quisque 2 est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt.

Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus, 16.1 atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, 2 quique in proeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant aut se immolatuos vovent administrisque ad ea sacrificia druidibus utuntur, quod, pro vita hominis nisi 3 hominis vita reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque eiusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum 4 contexta viminibus membra vivis hominibus complent; quibus succensis, circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia 5

eorum, qui in furto aut in latrocinio aut aliqua noxia sint comprehensi, gratiora dis immortalibus esse arbitrantur; sed, cum eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

- 17.1 Deum maxime Mercurium colunt: huius sunt plurima simulacra, hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et Iovem et Minervam. De his eandem fere, quam reliquae gentes, habent opinionem: Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Iovem imperium caelestium tenere, Martem bella regere. Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea, quae bello ceperint, plerumque devovent: qui superaverint, animalia capta immolant reliquasque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum exstructos tumulos locis consecratis conspicari licet; neque saepe accidit, ut neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.
- 18.1 Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant idque ab druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt; dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. In reliquis vitae institutis hoc fere ab reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverunt, ut munus militiae sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur filiumque puerili aetate in publico in conspectu patris assistere turpe ducunt.
- 19.1 Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, aestimatione facta, cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque servantur: uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitae necisque habent potestatem; et cum paterfamiliae illustriore loco natus decessit, eius propinqui conveniunt et, de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quaestionem habent et, si

compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magna et sumptuosa; omniaque, quae vivis cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia; ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab his dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis, una cremabantur.

Quae civitates commodius suam rem publicam administrare existimantur, habent legibus sanctum, si quis quid de re publica a finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad magistratum deferat neve cum quo alio communicet, quod saepe homines temerarios atque imperitos falsis rumoribus terreri et ad facinus impelli et de summis rebus consilium capere cognitum est. Magistratus, quae visa sunt, occultant, quaeque esse ex usu iudicaverunt, multitudini produnt. De re publica nisi per concilium loqui non conceditur.

---

## -II. Germaanlaste kombed.

Germani multum ab hac consuetudine differunt. Nam neque druides habent, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student. Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem et Vulcanum et Lunam; reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit: ab parvulis labori ac duritiae student.

Agriculturae non student, maiorque pars eorum victus in lacte, caseo, carne consistit. Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios; sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum et quo loco visum est agri attribuunt atque anno post alio transire cogunt. Eius rei multas afferunt causas: ne, assidua consuetudine capti, studium belli gerendi agricultura commutent; ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; ut animi

aequitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat.

23.1 Civitatibus maxima laus est quam latissime circum se  
2 vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis exi-  
stimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope  
3 audere consistere; simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repen-  
4 tinae incursionis timore sublato. Cum bellum civitas aut illatum  
defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint et vitae  
5 necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus est  
communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum  
6 inter suos ius dicunt controversiasque minuunt. Latrocinia  
nullam habent infamiam, quae extra fines cuiusque civitatis  
fiunt, atque ea iuventutis exercendae ac desidiaie minuendae  
7 causa fieri praedicant. Atque ubi quis ex principibus in con-  
cilio dixit se ducem fore; qui sequi velint, profiteantur, con-  
surgunt ii, qui et causam et hominem probant, suumque auxi-  
8 lium pollicentur atque ab multitudine collaudantur; qui ex his  
secuti non sunt, in desertorum se proditorum numero ducuntur,  
9 omniumque his rerum postea fides derogatur. Hospitem violare  
fas non putant; qui quaque de causa ad eos venerunt, ab  
iniuria prohibent, sanctos habent, hisque omnium domus patent  
victusque communicatur.

24.1 Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent,  
ultro bella inferrent, propter hominum multitudinem  
2 agrisque inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea,  
quae fertilissima Germaniae sunt, loca circum Hercyniam silvam,  
quam Eratostheni et quibusdam Graecis fama notam esse video,  
quam illi Orcyniam appellant, Volcae Tectosages occupaverunt  
3 atque ibi consederunt; quae gens ad hoc tempus his sedibus  
sese continet summamque habet iustitiae et bellicae laudis  
4 opinionem. Nunc, quod in eadem inopia, egestate patientiaque  
Germani permanent, eodem victu et cultu corporis utuntur,  
5 Gallis autem provinciarum propinquitas et transmarinarum rerum  
6 notitia multa ad copiam atque usus largitur, paulatim assuefacti  
superari multisque victi proeliis ne se quidem ipsi cum illis  
virtute comparant.